Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2033
Quelle:
Copyright:

carum Σολεμανος primum, mox etiam in nomine Μαομετις repetit, et quanquam Romanis Pontificibus adeo nihil dissimulet, ut scribat: *Possem hic pauca referre de Sanctissimo Clementis VII. contra Carolum Imper. et Maiestatem tuam, et consequenter contra ciuitatem et Ecclesiam Dei icto foedere;* tamen etiam in voce Λουθεραναι numerum Bestiae contineri ait. In Vaticinia demum de Judicio extremo expatiatus ita concludit: *Quod reliquum est, Ferdinande, rex optime, in uotis atque supplicationibus est situm, ut Deus Zebaoth mentem Maiestatis tuæ sapientiæ suæ et spiritus lumine illustret — Maiestatem etiam tuam cum liberis et fidelibus populis suis a sanguinaria beluæ Antichristianæ tyrannide brachio suo excelso et extento conseruet, tueatur, ac defendat, ut denique Maiestati tuæ omnia ea diuinitus contingant, quæ in prophetæ et regis Dauidis psalmo 19 sunt expressa uota, sincere precamur et optamus. Amen.* Adjecta est Observatio de Vocabulo *Optio*, quo Noster per decursum frequentius usus est, quodque e *Festo*, *Justiniano*, *Plauto* et *Budaeo* hic *Administrum*, *Accensum*, videlicet Antichristi, interpretatur. In universum Virum graece, latineque doctum, vastaeque lectionis audias, sed paene aniliter credulum. Verum quis ille? An *Wolfg. Lazius*, qui *Methodii* Vaticinia edidit? An *Job. Langus Silesius*, non Medicus, sed JCtus ille, quem *Cod.* DXXVIII. θεολογιζειν vidimus? An denique παραδοξος ille *Paulus Scalichius*? Germanum fuisse, Voces vernaculae non semel interjectae probant.

DXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 10. 4. est Autoris cujusdam e Protestantibus Dissertatio inscripta: *De Fine Mundi sive Novissimo Die*, quae incipit: *Cum nulla sit consolatio dulcior proposita Ecclesiæ Dei, quam in eo Iuditio, quod in fine huius mundi futurum sit, summo studio sunt omnium Piorum animi in eius Iuditij cogitationibus exercendi* &c. Tribus porro Quaesitis res transigitur. I. *An sit huius Mundi Iuditium futurum.* II. *Quo tempore.* III. *Quo modo.* Quaesiti primi initium annum Scriptionis prodit. Lego enim: *Certissimum est, hunc mundum non fuisse ab æterno, sicut Aristoteles opinatus est, sed hoc anno 1556. iam annos 5518. præterijsse ab eo tempore* &c. Cetera difficultatem non habent, uti nec Quaesitum III. quae omnia ad ductum sacrarum Literarum explanantur. At vero ad Quaesitum II. partim e Prophetia *Pseudoeliae* depromta e Tract. Talmud. *Sanhedrin* et *Gemara Avoda Sara* de sex Millibus Annorum durationis Mundi, partim e Monarchiis *Danielis*, partim e Praedicationibus *Christi* et Apostolorum vicinum Judicii diem infert Noster, concluditque: *Postremo*

635